



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

7. De Ineffabilitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

3. Dicitur *Inuisibilis*, quia etsi à mente creata per lumen gloriæ aliquo modo clarè videri possit, non tamen visione comprehensua qua nihil lateat videntem. Omnis enim visio Beatorum infinitè ab ipsius visione comprehensua; & ipse infinitè omnem illorum visionem superat. Hoc modo quidam Patres dicunt Deum omni creaturæ inuisibilem, & ignotum; & sibi soli notum, ac visibilem.

CONSIDERATIO VII.

De Ineffabilitate Dei.

Ineffabilis dicitur; 1. quia nullis verbis, nullis sermonibus exprimi potest prout in seipso est; etiamsi tot libri scribantur, quot etiam totus mundus capere non posset.

2. Quia non solum nullis verbis externis repræsentari potest, sed
 etiam

etiam quia nulla mens creata absque lumine gloriæ potest illum, ut est in se, concipere; ac proinde nec verbis internis illum sibi vel alijs repræsentare. Omnis enim conceptus mentis creatæ quo illa Deum absque lumine gloriæ concipit, infinite abest à genuinâ eius repræsentatione. Vnde infinite melius est vnum verbum, quo Beati Deum sibi in mentibus suis repræsentant, & exprimunt, quàm omnis sapientia hominum, & Angelorum. Hoc modo non est ineffabilis beatis; sed nobis & Angelicæ naturæ extra beatitudinis statum.

3. *Ineffabilis* dicitur, quia a deo est sublimis, infinitus, & immensus, ut neq; à beatis per lumen gloriæ adæquatè, seu comprehensivè vlllo verbo mentis, exprimi, aut repræsentari possit; sed solùm à se ipso: ut cap. II. explicatū est. Et hoc modo est ipsis etiã Beatis ineffabilis.

CON-